ADMODUM REVERENDO,
Strenuissimo, ac Nobilissimo

IOANNI-ERNESTO
à Treschkow/

Metropolitanæ Ecclesiæ Magdeburgensis
CAPITULARI *longè Spectatissimo, & in* Nigrip/
Bukow/ & Schalene *Hæreditario.*

UT ET

PERANTIQUA GENERIS NOBILITATE, SPLENDIDISS: EQUITI,

BUSSONI AB Asseburg/
in Bestkendorff/ Falckenstein/ & Newdorff
Domino.

NEC NON

GENEROSIS AC NOBILISS:

THEODORO
ET
ACHATIO
} à Quitzow/

Fratribus Germanis, & Hæreditariis in Wedelaw/ Sprintz/ Ellenburg/ Rußstadt & Klötzge.

DOMINIS ET PATRONIS
suis magnis, summoq; observantiæ studio *perpetim colendis.*

INter alia calamitatum atq; adflictionum genera, quibus DEus ter OPT: MAX: justo suo judicio, Hominem in hâccè vitâ, ob Legis suæ transgressionem, multipliciumq; peccatorum ac flagitiorum commissionem, obnoxium esse voluit, *Morborum* quoq; insultus atrocissimos, non postremum obtinére locum, nemo cui vel mica sani judicij in pectore superest, facilè ibit negatum. Quamvis autem morbificarum adfectionum, furiosissimè sæpè in nos debacchantium, calidumq; nativum *unâ cum* humido primogenito βιαςικῶς depopulantium, adeoq; exquisitam carnificinam in corpus nostrum exercentium, permagnus utiq; ac pené infinitus sit numerq; illarum tamen omnium, quocumq; etiam nomine veniant adpellandæ; nullam prorsus reperire licet, vultum (ut ità dicam) ostentantem truculentiorem, minasq; spirantem ferociores, ut & majorem horrorem ac trepidationem hominibus incutientem, ipsâ LUE PESTIFERA, idq; triplici potissimùm de causâ.

1. RATIONE SUMMÆ MALIGNITATIS AC VENENOSITATIS, ipsi conjunctæ, quæ profectò talis tantaq́, exsistit, ut non solùm Hominem, optimè valentem, sæpèq́; aliud agentem, clancularièac insidiosè invadat ac prosternat, verùm etiam eumdem, ni maturè ipsemet suæ Saluti consultum ac prospectum eat, unius interdum diei, imò quandoq́; paucarum horarum intervallo crudeliter abripiat, repenteq́; jugulet, ac neci tradat, id quod non semel, sed multoties, distinctis temporum intercapedinibus, accidisse, πολυδαίδαλος illa Magistra rerum, Experientia scilicet, luculentissimè probatum ac testatum fecit. Et quamvis non inficiandum, cæterorum quoq́; venenorum, seu ex Animalibus desumptorum, seu ex Vegetabilibus aut Mineralibus petitorum, vim, rabiem, ac pernitiem, quam in lædendo ac enecando quocumq́; animalium genere, naturaliter possident, haut esse minimam aut exiguam, sed potiùs insignem admodùm ac conspicuam, adeòq́; neutiquàm floccipendendam; tamen cum ipsis, præter Spiritalem substantiam, à quâ potissimum

omnis ἐνέργεια ſeu actio proficiſcitur, multum quoq; corporeæ molis, terreſtrisq; fæculentiæ concretum ſit atq; adhæreat, idcircò non ità promptè, & in momento quaſi corpus ipſum ſubire, & tali pernicitate in vitæ arcem unicam, COR nimirum penetrare, vel impetum facere poſſunt, quali quidem venenum Peſtilens, utpotè ſummè Aſtrale, tenue, ac ſubtile, totumq; Spiritale, fontem caloris nativi, vitalesq; in eo Spiritus aggredi, eosq; labe ſuâ inficere, diſsipare, tamdemq; penitùs exſtinguere ac ſuffocare videmus.

II. RATIONE ATROCITATIS SYMPTOMATUM hunc Morbum comitantium, & ob id non immeritò haut levem terrorem homini incutientium, ut ſunt. 1. *Dolor Capitis*, ſæpé adeò vehemens & acutus, ut præ nimiâ ejus ſævitiâ ac atrocitate ægrotans vix reliquas corporis paſsiones ac dolores ſentiat, imò vix quoqué oculorum palpebras aperire, aut eas apertas diú tenêre valeat. 2. *Vigiliæ intenſiſsimæ*, Spiritus animales Cerebri, continuis ac indefeſsis motibus hûc illùc agitantes, conturbantes, eoſquè tamdem inflamman

tes,

tes, diſsipantes ac reſolventes. 3. *Delirium*, ſeu mentis emotio ingens, Senſuumqué interiorum depravatio, aut omnimoda ablatio, quâ fit, ut contagioſo hôc malo tacti, non ſolúm plurima abſona ac ridicula proferant & loquantur, nec adſtantes aut domeſticos agnoſcant, verùm etiam interdum, ni impediantur, aut diligenti ſub cuſtodiâ habeantur, ex alto ſeſe dent præcipites, vel manus ſibimet inferant violentas, quemadmodum factum legimus in calamitoſiſs: illâ Peſtilentiâ, á *Thucydide lib: 2. Belli Pelopon:* deſcriptâ, quæ homines adeó adfecerat, ut omnium prorſus obliviſcerentur, ſequè in puteos præcipitarent; convaleſcentes verò, nec parentes, nec familiares ampliús agnoſcerent. 4. *Palpitatio Cordis graviſsima*, ac *Syncope horribilis*, ob quam multoties frigidum toto corpore emittunt ſudorem, mortisquè colorem facie induant, itá ut jàm jàm animam efflaturi videantur. 5. *Vomitus enormes ac continui* túm alimentorum ingeſtorum, túm medicamentorum adſumptorum, undè vires univerſæ collabaſcunt ac dejiciuntur,

cruciatusq; maximus circâ φρένον seu præcordia excitatur. 6. *Æstus febrilis* adeò intensus ac immoderatus, ut viscera, ac corporis interiora, lento quasi quodam igne peruri, torrêri & exsiccari sentiantur. 7. *Sitis* sæpè plùs quám *Tantalea*, hâcce Lue obsessos tantoperè adfligens, ut nullâ arte, nulloq; ingenio edomari profligariq; queat &c.

III. RATIONE DIFFICULTATIS CURATIONIS. Difficile autem medicatu hoccè malum reddit, tùm multitudo magnitudoq; Symptomatum, modò commemoratorum, quorum quodlibet sæpè primò ac per se, felicem medentis manum exposcere & ad se trahere videtur; tum ἰδιοσυγκρασίας veneni Pestilentis ignoratio. Cum enim hoccé venenum non semper aliorum toxicorum more, unam eamdemq; individualem naturam obtineat, sed pro diversitate temporum, diversas quoquè proprietates induat, sicq; instar Protei cujusdam, in multiplices formas, undé etiam varij ac dispares effectus prodeunt ac resultant, sese transmutet: idcircô certum quoq;, specificum, & infallibile Alexipharmacum ei oppo-

nere,

nere, non modò difficile, sed tantùm non impossibile judicatur. Nam propriam veneni alicujus Antidotum feliciter inventurus seu investigaturo, antè omnia id sedulò dare debet operam, omnesq; ingenij nervos eò intendere, ut, quantum pote, propriam quoq; ac specificam illius veneni naturam, peculiaremquè ejus nocendi modum, quàm exactissimè ac perfectissimè habeat cognitum atq; exploratum, ni frustaneam operam sumere, aut prorsus incassum sudare satagat. Quotusquisqué autem Medicorum est, cui ἰδιοσυγκρασικὴ natura Veneni Pestilentis ad amussim sit perspecta? Nullum certè in hunc usq; diem vidimus, qui in publicum prodiens, id de se jactitare aut profiteri fuerit ausus, nec posthâc quempiam facilé fore putamus, qui tàm abstrusissimæ intricatissimæq; rei scientiam, in solidum sibi arrogare atq; adscribere temerè præsumat, præsertim si pensi habuerit, inq; memoriam sibi revocaverit, Hippocraticum illud τὸ θεῖον, quod morbis quibusdam, inprimis verò Epidemiis, inter quos Pestis jure primum agmen ducit, *summus ille Dictator* voluit inesse. Quamvis au-

vis autem verùm, ſpecificum, ac genuinum PESTIS Alexipharmacum, nulli mortalium exactè cognitum, ſed ſoliùs DEI potentiæ ac Majeſtati reſervatum ſit, nihilominùs tamen par eſt, decetq; eos, qui ex profeſſo ſtudio Medico ſe dicârunt ac mancipârunt, conſilia ſua, cogitationesq; omnes eò conferre, ut ex Naturæ reconditis penetralibus, ſelectiſsima quæq;, efficaciſsima, uſuquè multiplici expertiſsima Remedia antipeſtifera, ſolerti mentis indagine, eruant, erutaquè ac inventa poſteà non ſibi ſolis reſervent, ſed in *publicum* ea protrahant, & ex Chriſtianâ charitate, liberaliſsimè aliis communicent, quo proximus noſter hiſcè adjutus, *viram* ac ſanitatem ſuam, á tam ferocis Tyranni rabie & inſultu, ſartam tectamquè conſervare, aut ſi forſan eum labe diri hujus veneni infici contigerit, ejuſmodi Alexiteriorum ope ac præſidio, tetram illam malignitatem extemplò opprimere, penitusquè é corpore profligare atquè ejicere poſsit.

Hoc & EGO mecum perpendens, jampridem in eum finem, nulli labori aut operæ parcens, nobiliſsima aliquot, ſecretiſs: rariſs: ele-

gantiſs:

gantiss; nec non plurimis experimentis felicissimè comprobata medicamenta Antipestifera, partim proprio studio ac diligentiâ invẽta, accuratâq; indagine excogitata, partim verò ex aliorum præstantissimorum celebratissimorumq; Medicorum laboribus decerpta, sollicitè collegi, collecta methodicè digessi, digesta in certas Classes dispescui, & sic peculiare quoddam Σύνταγμα seu ANTIDOTARIUM MEDICUM indè exstruxi ac confeci. Quod etsi certas ob causas, prælo subjicere, & foràs dare, animum nondùm induxissem, sed potiùs illud adhûc aliquamdiu supprimere, & inter privatos parietes detinêre, decrevissem: Tamen quorumdam mihi amicissimorum hominum, quibus aliquandò istius mei laboris *qualiscumquè* videndi facta est copia, quique eum ceu *valdè utilem* ac necessarium Reipubl: Medicæ prædicarunt, preces ac hortamẽta tantum apud me valuèrunt, ut iis expugnatus, nullum ampliùs tergiversandi locum invenerim, sed libentissimè illorum petitioni ac voto annuerim, manusq; tamdem dederim, sicq; *isthæc collectanea mea*, juvandæ communis

Patriæ ergó, nunc publici juris fecerim. Quibus tamen, ne solitaria ita, &, ut sic dicam, nuda prodirent, sed comptiora nonnihil, honestioriq; quasi veste tecta, in publico adparêrent, *Generalem* quemdam de PESTE *Discursum* præmittendum duxi, in quo per Quæstiones ac Responsiones dilucidas ac perspicuas, universam naturam malignæ istius Luis, ut & ejusdem præcavendæ ac curandæ modum, quàm brevissimè sum complexus. Veritatem potissimum in eo spectavi, & ob oculos mihi posui, cum me non lateat, hæc omnia magnis *Disputationibus*, & prolixis ac operosis Commentariis, ab aliis ad fastidium usq; inculcata esse. Nec quoquè aliquam *Ingenij laudem*, hácce qualicumquè meâ Lucubratiunculâ ambitiosè *quæsitum* ivi, sed tantummodò aliorum, quibus ampla magnaq; de PESTE conscripta volumina evolvere ac perlegere, aut non libet, aut non vacat, commodis inservire, horumq; studia, brevissimo quodam Compendio, pro virili adjutum ire volui.

Quia

Quia autem veteri more inter litteratos hactenus receptum, ut aliquid Lucubrationum suarum in lucem daturi & emissuri, de magni nominis Mecœnate, aut primariæ dignationis, eminentisq; autoritatis Patrono aliquo, maturè cogitent ac solliciti sint, cui sua nuncupent ac dedicent, quo illius præsidio muniti, eò alacriùs confidentiusq; malitiosorum hominum tela, quibus sæpè bonorum ac innocentũ capita, licenter nimis ac petulanter petunt, obtundere, frangere, & elidere queant. Idcircò & EGO *huic consuetudini* sané non culpandæ nec improbandæ insistens, inter omnes, VIRI NOBILISSIMI, VOS potissimum mihi Patronos & Mecœnates nunc eligere, vestroq; *amplissimo* Nomini, hunccè meum LIBRUM inscribere & *dedicâre volui, idq; tàm propter* insignem Familiarum vestrarum, utî antiquissimarum, itá nobilissimarũ, inq; Aulis magnorum Regum ac Principum, quá intrà, quà extrà Germaniæ limites atq; oras, adprimè spectatarum & celebratarum, splendorem ac decôrem; quàm propter præclaram & illustrẽ, de præclaro vestro in litteras adfectu, politâ doctrinâ, exquisitâ Linguarum exoticarũ peritiâ,

nec non singulari Virtutum Heroicarum, fulgentissimi cujusdam Pyropi instar, mirâ luce in VOBIS radiantium præstantiâ ac eminentiâ, longè lateq; sparsam & disseminatam Famam.

Suscipite igitur, VIRI NOBILISSIMI ac GENEROSISS: libenti ac hilari fronte, hoc tenue & exiguum, quod VOBIS nunc consecro, & in sinum quasi vestrum offero ac depono, Litterarium Munus, tamquàm Adfectus, Cultusq; mei in VOS devoti, fidum sincerumq; pignus, ac monumentum perpetuum. Et quamvis illud vestro Splendori atq; eximiæ Dignitati longè impar esse, optimè norim, nihilominus tamen spero, VOS, pro insito generosis animis vestris candôre ac humanitate singulari, id minimè adspernaturos, sed potiùs hunccè meum conatum, atq; *Offerumentum*, tamquàm ab optimo Animo profectum, optimè quoq; interpretaturos, illûdq;, si opus fuerit, à lividorum maledicorumq; homuncionum linguis ac dentibus viperinis, nec non pessimorum Sycophantarum, utpotè optima quæq; injuriosis præjudiciis damnantium, scabiosèq; ac calumniosè

tradu-

traducentium, improbis cavillis, vindicaturos, mihiq́; ſuavem Amoris ac Favoris veſtri Zephyrum, placidê benigneq́; adſpiraturos, tamdemq́; me ac mea Studia quàm commendatiſsima ſemper habituros. Id quod calidé rogo, unicéq́; voveo, ſicquê me totum nunc VOBIS devoveo. Valete VIRI NOBILISSIMI, & ſoſpites, florentes, ac felices longiſsima vitæ tempora tranſigite. Scribebam HALLÆ-SAXONUM 19. die M. Aprilis. ANNO ἐνσαρκωθέντος τȣ̃ λόγȣ. *M. DC. XXI.*

V. V. V.

NOBILITAT:

Obſervantiſs:

MATTHIAS UNTZERUS. D. Medicus ibidem Ordinarius.